





DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio XLV.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallensis

Rectore

*Respondente,*

GOTTFRIDO SCHOMARO

Hallensi Saxone.

*Dominica XIV. post Trinitatis.*

*A. O. R. clb. Inc. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Haredum Melchioris Oel-*  
*schlegely*

DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

Dr. phil. X. V.

PRÆSIDI

CHRISTIANO GUENZIO

Gymnasti Hallsæ

Regere

Reverendissimo

GOTTFRIDO SCHOMMERO

Hallsæ

Dominice X. V. post Trinitatem

N. O. R. B. J. C. III.

~~CHRISTIANUS GUENZIO~~

HALLS SÆXONIÆ

Rechtshausen Melchior

schlegel



ANALYSIS  
EVANGELII

DOMINICA XIV. POST TRI-  
NITATIS.

Luc. 17. à vers. 11. usq. ad 20.

Περίμειον.

**D**e mane fuit prodigium, quod  
Mirjam soror Moysis horrendâ  
leprâ a Deo percussa, ab eadem  
tamen liberata Num. 12, 10. Quæ  
res non parvum stuporem & admirationem  
castris Israëlitis intulit. Geminum factum, imò  
majus exhibet Evangelium, dum potenti Chri-  
sti manu ac jussu non unum & alterum, sed de-  
cem leprosos in ingressu castelli cujusdam an-  
nunciat mundatos. Ob hoc miraculum etiam  
nunc tota Christianitas admiratur, gloriatur.

Ff THE-

## THESIS I.

Describitur *autem* in Evangelio partim miraculosa mundatio, ubi notanda est occasio, & est Christi peregrinatio. v. 11. In quo circumstantia temporis: Et factum est dum iret: *Quod fuit ultimum iter ad passionem, anno etatis Christi 34. inchoato.*

2. Tùm circumstantia loci ad quem: Hierosolymam. *Tanquam locum destinatum passioni, memor salutis humane, ob quam instaurandam cœlitus advenerat, instante humane salutis termino, habet Ericus hom. super hoc Evang.*

3. Et per quem: Et ipse transiit per mediam Samariam & Galilæam. *Sicq, non recta via, sed per circuitum Capernaum relicto adiit Samariam versus ortum; inde Galilæam versus septentrionem & occasum: tandem Hierosolymam versus meridiem. Ambulat enim de loco transiens ad locū, ut omnibus subveniret, ut omnibus adesset, occurreret singulis, concurreret universis. Et ita flectuoso itinere miracula plurima prestitit, ut etiam gentibus suam gratiam & beneficium offerret. Samariam verò tùm temporis inhabitabant gentes ex Assyria & Babylonia eò traductæ; Et*  
licet

licet Christus esset minister circumcisionis pro  
 veritate Dei, Rom. 15, 8. missus non ad canes,  
 sed ad oves perditas domus Israel Matth. 15, 24.  
 Unde ob id in prima discipulorum peregrina-  
 tione ipsis, ne in civitates Samaritanorum  
 peregrinarentur, interdixit Matt. 10, 5. sub fi-  
 nem tamen sui ministerij terrestres propter in-  
 gratitudinem Iudeorum facto testari voluit  
 regnum Dei à Iudeis auferendum. Et ad gentes  
 transferendum Matth. 21, 43. Quemadmo-  
 dum Et Apostolos in universum terrarum or-  
 bem transmisit Marc. 16, 15. Unde Et Samaria  
 verbum Dei recepit Act. 8, 14. Insimule etiam  
 monstravit quibus esset benefaciendum Matt.  
 5, 44. Rom. 12, 21.

4. Et decem leproforum occurratio. v.  
 12. In quo iterum circumstantia: & cum in-  
 grederetur quendam vicum. Qui cum non  
 nominetur, opiniones suo relinquuntur loco.  
 Fuit enim vel Samaria vel Galilæa oppi-  
 dum. licet exiguum castellum: mirum tamen  
 cum in tota scriptura vix mentio fiat decem  
 leproforum, ut Mirjamis Num. 12, 11. Nahe-  
 manis 2. Reg. 5, 1. Gehazi 2. Reg. 5, 27. Regis  
 Asaria sive Uzziæ 2. Reg. 15, 5. 2. Paral. 26.  
 19. quatuor Samaritanorum 2. Reg. 7, 3. Si-  
 monis leprosi Matth. 26, 6. Et qui ad Galilæa

Ff 2

mon.

montem supplex factus Matth. 8, 2. Hic tamen in uno decem repertos fuisse: ut contra decem praecepta intelligantur peccata committi.

5. Et res gesta, quoad personas, de quibus praedicatum: occurrerunt. Erant enim extra civitatem, & non licebat ipsis, qui habebantur maledicti, in civitatibus versari, uti etiam apud Persas, teste Herodoto lib. 1. cap. 139. Et tamen docent, quò aequè in miseriis occurramus Christo.

6. Subjectum distinctim respectu quantitatis: decem. Per quos designantur homines peccatores, spiritualiter: siquidem decem modis lepra cum peccato comparatur, quia miracula Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi, ut scribit Gregorius hom. 2. super hoc Evang. sic accipienda sunt ut in veritate credantur facta & tamen per significationem nobis aliquid innuant; opera quippe ejus & per potentiam aliud ostendunt, & per mysterium aliud loquuntur.

7. Ratione qualitatis: leprosi viri. Cōvenit autem lepra & peccatū. 1. Ratione infectionis: dū universam massam humanā penetrat Esa. 1. 6. Rom. 7. 18. 2. Ratione adhesionis: nō enim est substantia, sed adjacens malum Rom. 7. 18. 3. Ratione deformitatis Levit. 13. 45. nam & per

per peccatum homo fit **D E O** abominabilis  
 Prov. 14, 1. 4. Ratione pruritus: nam & pec-  
 catum homines irrequietos reddit Psal. 38, 4.  
 & seqq. 5. Ratione contagij: Ita & peccatum  
 repente inficit 1. Cor. 5, 6. 6. Ratione inhabi-  
 litatis, dum homines ineptos ad agendum quip-  
 piam facit, sic & peccatum causatur, bonum  
 ut non prestare valeamus Rom. 7, 15. 7. Ra-  
 tione foetoris, cum sepulchro patenti etiam si-  
 mile sit Psalm. 5, 11. 8. Ratione erosionis: cum  
 membra devorat Num. 12, 12. Sic & pecca-  
 tum totum hominem corrumpit & deformat  
 Esa. 1, 6. 9. Ratione exclusionis: sic & pecca-  
 tum dividit inter nos & Deum Esa. 59, 2.  
 10. Ratione incurabilitatis: sic & peccatum  
 dum frater fratrem liberare non potest Psalm.  
 49, 8. Per leprosos verò habet Augustinus l. 1.  
 cap. 30. quæst. Evangelic. etiam non absurdè  
 intelligi possunt, qui scientiã vera fidei non ha-  
 bentes: varias doctrinas profitentur erroris, non  
 enim abscondunt imperitiã suam, sed pro  
 summa peritiã proferunt in lucem & adtantiã.  
 Dum verò præceptorem vocant, satis puto si-  
 gnificari, ait idem Augustinus, lepram fal-  
 sam esse doctrinam, quam bonus præceptor ab-  
 stergit. Aliàs sex species lepræ propositæ Levit.  
 13. producuntur à Cyrillo lib. 8. in Levit, &  
 Ef 3. ad pec-

ad peccata applicantur. Bernhardus de resurrectione. Dom. ier. 4. septupliciter occupare nos lepram asserit, ideoque nos homines ad miseriam natos esse profiteamur Psalm. 90, 10. quae 1. domus in proprietate possessionum & divitiarum. 2. In gloria vestium. 3. In voluptate corporum. 4. In ore si murmuramus. 5. In virili iactantia. 6. In corde est propria voluntas. 7. Proprii consilij quando zelum habemus non secundum scientiam.

8. Coniunctim : & steterunt procul : iuxta Dei praeceptum, propter immunditiam, quae in eis apparebat erubescere. Ut doceant nos indignitatem nostram à longè stantes etiam agnoscere cum publicano Luc. 18, 3. Et loco quidem procul stant, affectu tamen appropinquant, ait Bernhardus in Psalm. 15. Qui habitat, &c.

9. Et miraculi ratio, ubi leproforum imploratio. v. 13. In quo iterum in genere, modus in exterioris vocis elevatione : Et ipsi extulerunt vocem, dicentes : Leprosi enim plerumque habent voces raras. Igitur de conatu verba intelligenda, quod clamarunt, quantum potuerunt. Unde Anselmus vocem magnam devotam potius quam elatam notat. Et clamorem magnum magnitudo necessitatis extor-

extorquet, inquit Bernhard. serm. 16, in Psal.  
 Qui habitat, &c. Merito enim non exaudi-  
 tur qui clamare dissimulat, aut omnino non po-  
 stulans, aut tepide postulans & remissè. Siqui-  
 dem in Dei auribus, desiderium vehemens, cla-  
 mor magnus: è contra autem remissa intentio,  
 vox submissa: quando illa penetrabit nubes?  
 quando audietur in cœlis? nempè ut claman-  
 dum sibi noverit homo inter primordia sue  
 orationis, ipsum quem oraturus est, patrem in  
 cœlis esse, protinus admonetur: quod videlicet  
 impetu quodam spiritus, illò sibi jaculandam  
 esse meminerit orationem. Spiritus est Deus &  
 in spiritu clamet necesse quisquis ad Deum,  
 clamorem suum desiderat pervenire.

10. In specie ejus est tùm objectum,  
 ab interiori cordis fiducia: Jesu præceptor.  
 Et ita Salvatorem agnoscunt, dum Jesum ap-  
 pellant, simulq; potentem, qui supra hominem,  
 dum præceptorem appellant, qui optimè novit  
 (hoc enim innuit græcum) mederi. Habeturq;  
 in hac appellatione confessio Christi bonitatis,  
 dum Jesum nominant, Majestatis, dum præ-  
 ceptorem compellant.

11. Tùm desiderium: miserere nostri.  
 Breve verbum, inquit Chrysost. & clemen-  
 tiæ pelagus continet, hom. 79. de orat. Nam

376  
ubi misericordia, ibi adsunt omnia bona. Nos  
docent in miseriis confugiendum esse ad Dei  
misericordiam. Hec enim universalis est via,  
de qua in sancta Prophetia dictum est: Deus  
miseretur nostri, habet Augustin. l. 10. c. 31.  
de civit. Dei. Alias multi assidue se dicunt  
peccatores, Et tamen adhuc illos delectat pecca-  
re: Professio est, non emendatio; accusatur ani-  
ma, non sanatur; pronunciatur offensa, non tol-  
litur. Apud justum verò & misericordem judi-  
cem, qui se accusat, excusat, habet idem. Hic  
habetur confessio indignitatis propria, dum mi-  
serere clamant, & fidelitatis, dum sibi appli-  
cant. Neq; enim desperandum in miseriis le-  
prosis: quia leprosum esse corpore, nullum im-  
pedimentū afferre potest saluti, habet Chrys.  
hom. 16. in Matth. 7. c.

12. Et ad sacerdotes ablegatio. v. 14.  
In quo antecedens per causam impulsiva:  
Quos ut vidit. Aspectus enim divini-  
tatis propitia munus est conservationis huma-  
nae, inquit Salvian. l. 2. de Gubern. Dei. Vidit  
Nathanaelem sub ficu & conversus est Joh. 1,  
48. vidit Zachaeum in Sycomoro & salus do-  
mini eius obligit Luc. 19, 5. vidit viduam flen-  
tem & filius resuscitatus est Luc. 7, 13. Vidit  
Petrum & vidit salutariter.

12. Con-

13. Consequens, quoad mandatum in modo agendi, tum qui declaratur ab effectu; dum dixit illis: ite. *Potnisset videri durum hoc; siquidem leprosos non accedit, nec lepram aspicit, nec eos tangit, nec dicit, munda eritis: tantum iubet à se discedere: verum ita placuit.*

14. Tum: ostendite vos sacerdotibus. *Non quidem ut peccata confiterentur vel enumerarent, uti quidam opinantur: cum nullum alias eorum, quibus corporalia hæc beneficia præstitit, miserit ad Sacerdotes, nisi leprosos, habet Augustin. l. ii. quæst. Evangel. c. 40. sed ut lex Mosaica observaretur Lev. 13, 9. quâ iudicium de lepra sacerdotibus delatum est. Is ergo nec honorem, nec præmia expectanda voluit Christus detrahere: Ipse enim Dominus, habet Cyprianus l. 3. ep. ad Rogat. Iesus Christus Rex & Dominus noster usq. ad passionis diem servavit honorem pontificibus & sacerdotibus; quia, quod habet Chrysost. hom. 65. in Gen. honor sacerdoti collatus ad Deum ipsum pertinet. Quod & præcipit Apostolus Hebr. 13, 17. Reverere igitur, ait Chrysost. hom. 2. in 2. epist. ad Timoth. sacerdotem, quod tibi dieb. singulis divina ministrat; scripturas relegi facit, tui gratia domum exor-*

*E f s*

*nat.*

nat, propter te vigilat, pro te Deum precaturus  
 adstat, tui causa preces exsolvit, propter te vo-  
 ta persolvit, pro te apud illum religio cul-  
 tusq; & obsequium est, pro te ista omnia. Con-  
 tra, insania est, habet idem l. 3. de sacerdotio,  
 non solum manifestissima, tantum illum prin-  
 cipatum, sine quo neq; salutis, neq; bonorum à  
 Christo promissorum participes fieri possumus,  
 despiciere; sed & malorum omnium est causa,  
 habet idem hom. 2. in epist. 2. ad Timoth.  
 quod prepositorum nostrorum autoritas periit,  
 nulla iis reverentia habetur, nullus honos, nul-  
 lus metus. Interim tamen constanter debent  
 officium suum facere, contumelia enim ipsis lu-  
 crum est, teste Chrysost. hom. 2. in 2. Ti-  
 moth. licet honor sit onus; & cum Cypriano  
 l. 3. Epist. 9. magis optent & cupiant contume-  
 liam & injuriam singulorum clementi patien-  
 tia vincere, quàm sacerdotali licentia vin-  
 dicare.

15. Etiam ut fides & obedientia le-  
 proforum probaretur ablegati sunt, ut Mes-  
 sias à sacerdotibus per hoc miraculum  
 agnosceretur. Atq; adeò ablegantur leprosi  
 & propter miracula, & propter Christum, &  
 propter sacerdotes, & propter seipsos. Interim  
 etiam præcepit Dominus, ut ora ostenderent  
 sacer-

sacerdotibus docens corporali presentia confitenda peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda. Non alium, inquit Augustin. de vera & falsa pœnitentia c. o. statuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus; sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescens enim ipsa, habet remissionis partem. Non quidem est de necessitate, sed de utilitate; si enim confunderis, habet Chrylost. hom. 2. in Psalm. 50. alicui dicere, quia peccasti; dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conservo tuo, ut exprobet: dicito Deo, qui curat ea. Nec enim si non dixeris ignorat ea Deus. Et, quod apud Cassianum legitur de fine pœnit. coll. 10. Si verecundia retrahente revelare peccata coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri jugi supplicatione non desinas, qui absq; ulla verecundia publicatione curare & sine improprio peccata donare consuevit.

16. Et forma miraculi: Et factum est ut inter abeundum purgati sint. Sine tactu jam & sine verbo, tacita potestate & sola voluntate in itinere Christus eos sanavit, habet Tertull. lib. 4. adversus Marcionem cap. 35. Purgati enim sunt in momento, ipsis non animadvertentibus, dum mandato Christi obediunt.

unt, qui se jus habere non modo in presentia, sed & in absentia hoc testatur. Ut discamus mandato Dei esse obtemperandum, nec dubitandum de felici eventu. Ita leprosi nihil cunctati sunt, dum multis exemplis edocti; viderant enim neminem à Christo illusum unquam aut deceptum.

17. Partim est gratorum & ingratorum reparatorum declaratio, respectu Samaritani, ubi ejusdem remeatio, v. 15. In quo est causa tum efficiens: unus autem ex illis. Tanta scilicet est raritas bonorum ut penè unus esse videatur, inquit Salvian. l. 5. de gubern. Dei. Dum rari boni, ideoq; multitudo non est nota vere Ecclesie. Sic & Elias se solum superesse querebatur 1. Reg. 19, 14. Et pauci sunt electi Matth. 22, 14. Pauci inveniunt viam vitæ Matth. 7, 14.

18. Tum causa impulsiva: ut vidit se sanatum esse. Impulsus itaq; per beneficium, quamvis & cæteri viderint: eodem affectu tamen non dicitur illos aequè vidisse, h. e. non ad animum admisisse.

19. Et effectus in genere: revertitur. Non enim perrexit pristinum propositum, neq; remansit; verisimile siquidem ipsum cum cæteris sacerdotes compellasse; ita enim mandarat

clarat Christus, nec templum fraudasse sacrificio: Ut discamus, non moram alijs deberi, quominus revertamur: sint alijs ingrati, nos redeamus; pergant alijs in scelerum via, nos regrediamur, uti Naeman ad Eliseum revertitur & obtulit munera 2. Reg. 5, 15.

20. In specie, quoad laudationem: cum voce magnâ glorificans Deum. Quod erat indicium animi lati. Vox enim antea rauca, modo clara: submissè confitetur, & implorat auxilium, clarè testatur factum & glorificat Deum. Atq; ita laudes celebrat, Deoq; gloriam cantat.

21. Et per genu flexionem gratiarum actio. v. 16. In quo amplificatur quoad facta respectu gestus: & procidit in faciem ad pedes ejus. Quo ipse humilitatem ostendit suam, & indignitatem: non autem retrò cadit, ut Eli in mortem, sed in faciem ad Jesu pedes, quia ille humiliat se ut elevetur. Mali autem retrò cadunt, quia non vident, quid eos sequatur, habet glossa ordinaria. Equæ cordis humilitas in gratiarum actione imprimis requiritur. Ut discamus quomodo gratitudo animi erga Deum sit declaranda; omnis enim motus animi, suum quendam à natura habet vultum, sensum & gestum,

21. Et

22. Et quoad dictum: gratias agens ei. Deum glorificavit, se humiliavit, & gratitudinem suam declaravit. Ut discamus, cum ingratitude sit maximum vitium, gratitudinem probare. Gratiarum enim actio Deo quidem nihil addit, habet Chrysost. hom. 8. in Genesin. Nos autem illi familiares reddit. Unde & magnus thesaurus gratiarum actio, magnæ divitiæ, inconsumptum bonum, amatura fortis, ab eodem nuncupatur hom. 1. ad popul. Et nihil tam gratum Deo, quam animæ grata Deo gratias agens. Ideoque nihil aliud à nobis exigit, quam habere gratias pro his, quæ nobis facta sunt, ut pro illa ipsa gratiarum actione ad ampliora danda provocemur, dicit idem hom. 51. in Genes.

23. Tum persona: & hic erat Samaritanus. Hoc est custos qui beneficium receptum præ omnibus alijs grata mente custodierat: nam reliqui novem fuerunt Iudei. Iste vero cantans erat illud ex Psalm. 58, 10. fortitudinem tibi reservabo pro gratiarum actione; August. 1. 2. qq. Evang. c. 40.

24. Respectu Christi, quoad ingratos, ubi interrogatio. v. 17. In quo partim per comparationem dissimilium, factâ exploratione: Respondens autem Jesus, dixit,

xit: nonne decem mundati sunt? Non quasi nesciret, interrogat, sed ut aliis etiam ingratitudinem notam faceret; paria sanè beneficia, parem requirebant gratiam.

25. Et exprobratio: novem autem illi ubi? Quo magnam suam testatur displicentiam, ob turpissimum ingratitudinis vitium: Ita enim plerumq; plures ingrati quam grati deprehenduntur: quoties enim in metu, in angustiis, in periculis sumus, cum aut civitates obsidentur, inquit Salvianus lib. 6. de gubernat. Dei. aut provincia depopulatione vastantur, aut quibuscunq; in adversitatibus Reipublice membra caduntur, & opem cœlestis manus votis precamur, si quo sacra miserationis auxilio aut servata urbes fuerint, aut finita populatio, aut hostiles exercitus fusi, & metus omnis dono divinitatis ablati, quid statim post hac omnia facimus? Nos certè quoties bona accepimus, mala nostra cumulamur: ille nos beneficiis suis vocat ad probitatem, nos ruimus ad improbitatem; ille vocat ad conjunctionem, nos ruimus in dissolutionem, vocat ille ad castitatem, nos ruimus in impuritatem.

26. Et improbatio: v. 18. In quo effectus de ingratiss: non sunt reperti, qui redirent,

rent, ut darent gloriam Deo. *Heu ! heu !* non invenitur qui redeat, inquit Bernhardus. Ita multos quoque videmus usque hodie satis importunè petentes, quod sibi deesse cognoverimus, sed paucos admodum novimus, qui dignè super acceptis beneficiis gratias agere videantur. Et ingrati in novenario numero tanquam imperfecti remanebant ; & reprobi effecti, a consortio unitatis exclusi sunt, inquit Augustinus d. l. Nihil enim magis offendit Deum quàm ingratitudo, poterant quidem sollicitare ipsi & clamare : *Jesu fili David miserere nostri !* sed non continuabant, dum non redibant. Cepisse habet Hieronymus, epist. 18. ad Luc. multorum est, sed ad culmen pervenisse paucorum. Et parum est, adipisci aliquid potuisse, plus est, quod acceptum est, posse servare, ait Cyprianus lib. 1. Epist. 5. ad Rogat. Unde colligitur semper in Ecclesia plures esse malos quàm bonos.

27. De grato : nisi hic alienigena. Nempe Samaritanus. Ita ergo peregrini & alienigenæ longè meliores sepe quàm indigenæ. Ne itaque peregrinos, veluti fieri solet, odio prosequamur, vel etiam aversemur, discimus.

28. Et respectu Samaritani ejusdem salvatio. v. 19 In quo mandatum : & ait illi : surge

surgere & abi. Prociderat enim ante faciem  
ad pedes eius; ideoq; ipsum surgere iubet & ab-  
ire. Ut testetur omnino sibi debuisse gratia-  
rum actionem & hanc supplicem veneratio-  
nem, apud verū templum & verum pontificem  
Tertull. lib. 4. advers. Marcion. c. 15.

29. Tum instrumentum seu causam:  
Fides tua te salvavit. Atq; ita ipsum non tan-  
tum à corporali, sed etiam à spirituali morbo  
liberavit. Ut discamus fidem tantum prodes-  
se, tantumq; posse, quantum credimus, item pos-  
se eum statim consequi, qui crediderit verè, uti  
probat Cyprianus l. 3. contra Judæos c. 42.  
Atq; ita hanc clausulam Christus repetiit sepi-  
us: dixit cæco sedenti in via Luc. 18, 42. Ca-  
nanae Matth. 18, 28. Fides enim est, quæ salvi-  
ficat Hebr. 2, 4. fides est per quam custodimur  
ad salutem 1. Petr. 1, 5. fides est per quam salva-  
tur laborans Jac. 5, 5. Atq; sic fide nobis opus  
est dilectissimi, inquit Chryl. hom. 32. in c. 4.  
Joh. Fide inquam bonorum operum, matre sa-  
lutis medicina. Et fide Jesu Christi impetra-  
mus salutem, & quantum nobis inchoatur in  
re, & quantum perficienda expectatur in spe,  
habet Augustin. l. de spiritu & anima c. 29.  
Addo illud, quod habet Alliacus super Psal.  
4. pœnit. Domine Jesu Christe, cui proprium  
G g est

*est misereri semper & parcere : ego miser ad misericordem accedo , & peccatorum catena constrictus tua miserationis pietatis absolvi desidero. Ego multarum iniquitatum immunditia maculatus ad te fontem munditie confugio, & immunditiam meam per tuam misericordiam emundari supplico dicens : Misere-re mei !*



## NOTÆ.

### I.

**S** Teterunt à longè) Considera lepro-  
sos procul stetisse ubi implorarunt Chri-  
sti auxilium; Ut discas procul stare, id est,  
humiliare te, & humilitatem tuam agno-  
scere, si velis mundari.


### II.

**C** HRISTUS dixit : ite & ostendite)  
Considera ante mundationem abire  
jussisse ; ut discas quanta sit virtus obe-  
dientia.

### III.

**U** Nus videns se mundatum ) Con-  
sidera alienigenam rediisse, unum  
grā-

gratum; ut discas plerumq; gratiores esse  
alienigenas, quam indigenas.



### CASUS I.

An contagiosi prohiberi pos-  
sint, quo minus abeant inter  
homines?

**N**on videtur: 1. Quia in N. T. de ea  
prohibitione nihil habetur; nec Chri-  
stus hic prohibuit.

2. Quia pœnas divinas legibus pro-  
hibere velle stultum est: At contagia sunt  
pœnae divinae.

3. Jura ignorant, quod autem legi-  
bus non prohibitum, id videtur concessum  
arg. l. 1. ff. de colleg. illicitis.

(Contra: hic legitur non ausos fuisse  
accedere Luc. 17, 12. Et aliàs in legibus  
mandatum divinis quò seorsim habita-  
rent Levit. 13, 46.

2. Violat charitatem christianam

1. Corinth. 13, 5. Psal. 15, 3.

3. Jura volunt, ne ullum ledamus l.

3. ff. de l. & l.

4. Hf.

4. Homicidium casuale est, si quis per accidens alteri sine culpa præbet causam morti. l. 5. C. de homici. Contagiosi igitur sunt ab urbe pellendi secundum Alexand. in l. casus. C. de testam. & Bald. in c. significavit. in fin. X. de Rescriptis. Sic monent rectores civitatum, quàm primum aliquid pestis in urbe emergerit illicò amputare festinent ne latius serpat, Prævidell. de peste & ejus privileg. Rubr. de his quæ ad salubrit. civit. pertinent. §. quotiescunque igitur est timor. n. 8. Et sicut, qui pascendi jus habet tamē non debet morbosa pecora habere, ne alia contagione inficiātur & pereant, arg. l. julian. 13. in princ. ubi Dd. ff. de Acton. emti. & in jure canonico c. ressecanda 16. 24. q. 3. & textus in c. penult. dist. 45. & textus in l. 2. in princ. C. de de S. Trinitat. Capoll. de servit. rustic. prædior. c. 9. n. 21. & Ludov. Roman. Harprecht. tom. 2. de servit. n. 100. Unde nec hospes quamvis promiserit se velle agrotos recipere, contagiosos recipere

pere tenetur. Carpzov. in Respons. l. 8.  
tit. 10. Resp. 109.

*Ad contraria: 1. Petitur principium: nam exclusi fuerunt à consuetudine ceterorum, uti habetur Lev. 13. 46. Et hic expressè dicitur, quòd procul steterint, Luc. 17, 12.*

*2. Fall. causa. Non prohibentur pœna; sed amare periculum nemo tenetur, quia qui amat peribit in illo: Est q̃, quasi sui ipsius homicida, quod arguit αὐτοχρεια, quæ omni jure prohibita.*

*3. Ita concessum, nisi contrarium dispositum. Jam jura volunt ne ledamus alios quocunq̃ modo: Atqui hoc fit, nisi abstineamus, uti ex contrariis patet.*

## CASUS II.

An pastor teneatur contagio infectos ad se admittere?

**N**on videtur: Quia 1. jussi abire ex consortio hominum leprosi Lev. 13, 46.

2. Quia nemo se periculo exponere tenetur. Nemo enim dominus membrorum suorum.

L. 8 3

3. Cha

3. *Charitas ordinata incipit à se ipsa*  
arg. l. Præses. C. de servitut. & aqua.  
*Nec dolo quis facere videtur, qui se plus,*  
*quàm alterum amat.* Gravetta conf. 8.  
n. 18. Barbof. in axiom. 42. n. 3. *Hoc in*  
*tantum verum esse,* ait Bald. *ut quis ma-*  
*gis amare se debeat in ungue pedis, quàm*  
*aliud in vertice capitis.*

4. *Non tantum agrotantium habenda ratio,*  
*sed & sanorum* Grimmaeus in  
Syntagm. jurid. polit. disp. 4. th. 92.  
2. c. 4. th. 42. Befold, Polit. l. 2. c. 4.  
th. 42.

¶ *Unde nemo etiam cogi potest,*  
*licet vilis persona ad sepeliendos in-*  
*fectos: quia incivile est aliquem da-*  
*mnare ad opus, quod salva salute con-*  
*summare non potest* l. aut damnum.  
8. §. quicumque. & l. moris est.  
9. §. sunt & alia ff. de poenis, sine culpa  
*nemo potest puniri.* c. cognoscentes. X.  
de Constitut.

*Contra: Hic ablegantur ad sacerdotes*  
*ut explorent, quod eorū officium* Lev. 13.  
Et

Et Aaron stetit inter vivos & mortuos  
Num. 16, 48. Christus ipse admittit &  
sanat hic & alibi. Esaias adiit peste cor-  
reptum Ezechiam c. 38, 21.

2. Promissiones divinae adsunt: ti-  
mere autem arguit diffidentiam.

3. Praebet infirmis scandalum. Ger-  
hard. Tom. 6. c. n. 290.

4. Iudex imploratus tempore pe-  
stis, non denegare debet officium, Nico-  
laus Boer. decis. 228. n. 7. Passag. tract.  
de testam. n. 2. Ideoq; nec potest pastor.  
Bald. casib. conf. lib. 4. c. 9. cas. 6.

Ad contraria. 1. Fall. secundum  
quid. Ex consortio aliorum, sed interim  
sacerdotes coacti sunt illos admittere, illos  
adire, de iis judicare.

2. Nemo, nisi vocatio ejus requirat.  
Et tunc potius promissioni divinae confidit,  
quam ut se trucidet.

3. Incipit à seipsa, nisi sit obstricta, ut  
etiam proximum juvet. At qui non diligit  
proximum suum sicut se ipsum, ille nec di-  
ligit Deum. Quod postulat officium illud  
detra-

*detrectare nemo potest, quia officium publicum nemini damno esse debet l. videlicet 29. ff. ex quibus. caus. major. c. cum non de elect. in 6.*

*Ad 4. Utiq. potest, praesertim si sit persona vilis: quia potest cogi ad officium carnificis. Bald. in l. fin. C. de exsecut. in jud. & probatur ex l. uni. C. de mendicis vali. Potissimū si detur ipsi condignum salarium arg. l. 2. C. quib. ex causis ser. pro prami. lic. accip. venditor 13. §. si constat. ff. commū. prae. caus. arg. l. si quis 14. §. si cui funeris sui curam mandaverit ff. de relig. & sumt. fun. Et si nullus alius adsit, sumendum est damnatus, quia poena potest mutari secundū Bart. & Ang. in l. 2. ff. de publ. judi. Ripa de peste c. 4. n. 130. Quod pastore concernit, monendi sunt auditores ut maturē sese praeparent ad mortem, & sacram cœnam accipiant dum adhuc sani, ne in periculum conjiciāt alios. Cautē ergo agere debēt pastores: Poterūt curare, ut ager ex gurgustio suo in solem apricum deportetur, ipsumq. eminus adversus ventū audiant, sacram cœnam porrigat, Balduin. d. l.*

**J**am plus sollicitus peregrinos jungat  
ut ille,

Qui non se cives cernit amare suos.  
Hinc abit ut Solymas Christus, pertransiit  
omnem

Samariam, simul & qua Galilæa tenet.  
Ac ingressus ubi vicum venere leprosi.  
Forte viri deni, quiq; stetero procul.  
Omnes sublata clamabant voceq;: Nostri  
Præceptor Jesu commiserere citò!  
Quos ubi vidit, ait: vos ite videreq; sacris  
Vos præbete viris. Mund' & omnis abit.  
Et dum se mundum videt unicus, ille re-  
gressus

Magna voce suum glorificatq; Deum.  
Procidit in faciem supplex ad genna vo-  
lutus:

Gratus agit grates, qui Samaritæ tamẽ.  
Hinc Jesus dixit, respondens: lepra reliquit  
Nonne decem? Verum sunt ubi, queso,  
novem?

Exterius hic tantum! Plures sunt nonne  
reperiti

Qui reduces vellent glorificare Deum.  
Hinc

Huic ait at Iesus : surgens modo vade  
beavit

Et conservavit Te tua sola fides.

Unus erat denos inter sic gratus : at unus

Vix hodie gratus dum modo nulla fides.

Talem Schomarus custodit : praestet &  
ipsam,

Jam pl<sup>o</sup> praestabit cuncta dabitq; fides.  
restatur

GUEINZIUS.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

Ad ornatissimum Respon-  
dentem.

**O**Mnis homo genitus matris de semine,  
totus

Peccati miserè plenus ubiq; lue.  
Lurida quæ decadū monstrat lepra putris  
odoris,

Qui Satana capti retibus atq; necis.  
Et velut infecti mortis sunt gurgite mersi,  
Et vitanda colunt & fugienda volunt:  
Sic nos tabificis peccati sentibus usq;  
lasi, sentimus tabis & omne genus. (gas  
Hac Schomare tibi servas mysteria. Per-  
Et cūctos verbi magnus habere sacri.

David Schellhammer Hamb.

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle  
003 808 483

3



10 17

DI  
EVANG  
PR  
CHRIST  
HALL  
Q2.C



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

LIARUM  
LICARUM  
tio XLV.  
ESIDE  
D GUEINZIO  
i Hallensis  
ctore  
ndente,  
SCHOMARO  
i Saxone.  
post Trinitatis.  
b. Inc. III.  
AXONUM  
Melchioris Oel-  
legely